



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis tertiâ Martii M. DCC. XL.

M. JOANNE-BAPTISTÂ MONGIN, Medico Regis ordinario, Doctore Medico, Præside.

Utrùm Prægnanti Mulieri, acutissimo dentis dolore laboranti, ejusdem dentis evulsio?

I.



INTEGRAM humani corporis machinam, solidis liquidisque intermixtis constare, nemo est qui eat inficias, nisi illius structuræ & fabricæ rudis & imperitus. Partes cùm solidæ, tùm fluidæ, quatuor innituntur principiis componentibus, sale nimirùm, aquâ, terrâ, & sulphure; quæ quidem strictiore nexu, in solidis, in liquidis, ut potè ab invicem discretæ, laxiore com-

mercio uniuntur. Utraque motum habent à ſubtiliori (ut aiunt) materiâ, quæ ultima eſt Phyſicorum meta; quam ultra progredi, humanæ menti non datum eſt; niſi audaciùs velit primarias rerum cauſas, id eſt Deum ipſum maximum, ſcrutari & introſpicere. Haſce partes ſolidas, tubulorum ordinatam compagem referre, jure aſſeratur; quas inter, ſenſim ſine ſenſu permeant partes liquidæ, quæ prioribus concretæ, accretionem ipſis & extenſionem, homogeneo ſucco, conferunt, donec & longitudinem & latitudinem à primo motore, pro naturâ ſuâ circumſcriptas, adipiſcantur: quibus ad certum tempus peractis, matura ſtant ſolida, nec ultrà, quidquam incrementi à fluidis recipiunt, niſi quantum ſatis ſit ad reſarciendas vires quas nimio uſu, & iteratâ tranſpiratione amittunt: ac demùm, eò, lapſu temporis deveniunt, ut obtuſò hebetatoque genuino elaterio, paulatim marceſcendo decreſcant, præcludantque omnem aditum fluidis, unde reviviſcerent. Hinc fit ut ipſa fluida, orbata ſuo uſu præ inſolitâ & diuturniori commoratione abſque motu, coagulentur & vitientur, totiuſque molis minitentur ruinam: nam cum humani corporis ſanitas imprimis poſita ſit in vivificâ illâ, variæ indolis, ſuccorum mole, quibus irrigatur tubulorum compages; & in perenni ac æquali ſolidorum motu, quo premuntur & atteruntur fluida, ad ſua, pro præſcriptis à naturâ legibus, obeunda munera, in irrigatione tubulorum: ut primùm perturbatur conſuetus ordo ſolidas inter liquidaſque partes, æquilibrium cadat neceſſe eſt; dirutoque illo mirabili concentu, ſùſdeque miſcentur omnia, non ſine horrendâ, morborum, omne genus, diluvie: Quas quidem fervidas malorum ſcaturigines, voluit ſummus rerum Arbiter Medicinâ, à veris Medicis profligari, aut deflecti poſſe: Unde hanc artem propè divinam quiſque ſapiens colere, ſummumque ad apicem perducere debet.

I I.

QUANTUS quantus ſit homo, totus à naturâ morbus eſt, quia ſupremo, nec unquam revocando decreto morti naſcitur: quippe, ut primum in almam prodit lucem, gemitibus, futuræ miſeriæ ſuæ præſciis, notat ſuum in orbem, flebilem ingreſſum, egreſſumque flebiliorem. Mortis ſcilicet fermentum, aut

vitio parentum hauſtum ab ipſo conceptu, aut paulo poſt à pravis cupiditatibus hauriendum, totam molem paulatim corrumpendo permeat, ſeſeque penitiùs ipſis medullis inſerit; quin & res ipſæ quas natura, alendis, fovendis, recreandiſque animantibus benigna ſufficit, fortuito ſæpè caſu, ſæpiùs abuſu, in ejus vertunt perniciem; quales ſunt aër ipſe quem trahimus; cibus potuſque; motus & quies; ſomnus & vigilia; excreta & retenta; imprimiſque gravia animiPathemata. Natus ad laborem homo; Felix, ſi medias inter pœnas ærumnaſque quas ſibi ſocias adjungit labor, præſertim improbus, poſſet acutis carere doloribus! Haberet unde cætera mala tantiſper ſolaretur: ſed quæ peſſima eſt ejus conditio, conceptus in corpore externus dolor, ignotâ viâ, ad intimam uſque animam ſibi iter aperit, eamque totus ità involvit, ut vix ac ne vix quidem, ſit ſui compos. Ad ciendos in anima tantos doloris motus, quam ſæpè exigua cauſa! Vel tantilla pars acerbioris ſucci, cujus acrimoniâ & corroſione perſtringatur nervoſa quælibet fibra, ſtatim ſeſe comprimit arrigitque totum corpus, & tranſmiſsâ, citò citiùs, ſpirituum animalium copia, ad cerebrum uſque pertingit, in ea potiſſimum ſede ubi aſſolet ſuos affectus explicare anima; eamque infixus dolor admonet dolere cum corpore, imò & ferventiùs. Et reverà ſi abſcindatur continuò, aut obſtruatur nervus cujuſvis membri acri dolore perciti, interciſo canali quò, ſummo impetu ſpiritus vehebantur ad cerebrum, nullo ampliùs afficitur, nec motus nec doloris ſenſu. Cum enim alveolorum infima pars, gracili admodum membranâ nerveâ contexta ſit, cui, fibrarum ope, adhæret dentium radix, illarum irritatione & tenſione commovetur & cerebrum; unde nil mirum ſi hinc dolor oriatur acutiſſimus, ſummo ſæpè cum periculo; ac præcipuè in prægnantibus, in quibus humores parte ab omni turgeſcunt, faciliùs quoque exaſperantur, ità ut ſæpè ſæpiùs ſingula prægnatio, cum atroci dolore, ſingulum aggrediatur commoveatque dentem; cui quidem dolori vix mederi ullâ arte queas, niſi ſolâ extractione.

I I I.

SI prægnantibus, & adultis nocet acutus dentium dolor, quanto magis metuendus eſt recens natis infantibus! Tantum exinde imminet periculum, ut ſi unâ ſimul ab alveolis maxillaribus dentes erumperent, infans, procul dubio, præ nimio dolore extingueretur. Sed provida altrix natura eos aliquot poſt menſes ſucceſſivè apparere jubet, primo quidem inciſorios, caninos poſtea, ac poſtremo molares, prout vires creſcendo acquirit infans. Dentes omnes & ſinguli pro ſuo ordine in embrione delineantur, haud ſecus ac cæteræ humani corporis partes. In intimis fœtûs aut infantuli alveolis, mollis quædam congeſta materies, albicula, glareoſa, in menbranoſo criſpatoque ſacculo deprehenditur; quam vocant *nucleos*, vel *folliculos*, ſeu potiùs *germen dentium.* Immixtæ ſunt germini, conglobatæ fibriculæ, validè inhærentes membranæ alveoli, ipſique maxillarum ſubſtantiæ, perque illarum poros exilit ſuccus, cuilibet informando denti quoad ſedem, figuram, molemque, maximè idoneus. Vehitur ille ſuccus elapſus per poros, ſanguinearum arteriarum ope, donec tantiſper conſolidatus in denticulum, incrementum ſumat & formam, ac longitudinem, duritiemque determinatam acquirat: quæ omnia, non ſine ſciſſurâ lacerati germinis & gingivarum membranæ, fieri aſſolent; unde dolores acerrimi quos infantes vagitibus & lachrymis teſtantur; unde, paulò poſt, crebri lactis corrupti vomitus, febris, inſomnia, ſtomachi & ventris tormina, alvi fluxus, nervorum contractio, ipſa mors! Quod ſi ad primos illos vitæ humanæ ſcopulos in ætate tenerrimâ non allidantur infantes; ſi devictâ tempeſtate ſumptiſque viribus eis ſurgat plurium dentium ordo nitidior, longioris ævi curriculum, teſte Hippocrate ſpondet hoc ſignum & ſanitatis & roboris; aſſerente eodem, *L. 2. Epid. S. 6.* nitidos validoſque dentes longævam prænotare vitam, eò quod ſcilicet, dentes hujuſmodi, molendis alimentis aptiores, genuinam diſponant digeſtionem, quæ continuò plurimùm confert ad obeunda, cum laude, cætera munia, quibus recta conſtat œconomia animalis.

IV.

PRÆGNANTIS mulieris conditio si perpendatur attentiùs, hanc esse, tunc temporis, compendiosam morborum officinam, nemo diffitebitur. Vix primùm latens in virili semine homoncio fœcundum matris attigit ovum, cum tota, à capite ad calces subvertitur massa sanguinis, certantesque inter sese humores, miras cient procellas. Tantæ scilicet molis est hominem, eximium illud naturæ & opus & ornamentum; condere! Vix in utero suscepit fœtum, cum sese gravidæ recens mulieri fidos adjungunt comites, symptomata omne genus; cibi fastidium, nausea, crebri vomitus, intestinorum tormina, fluxus alvi, vertigines, cephalagia, spasmus, &c. Si medium gestationis iter summo labore superaverit, heu, miscella! tussi, cordis palpitatione, lypothimiâ, hæmoragiâ narium, catharro, torquetur, &c. Si ad metam propior, cæteris ægrè superatis, advenerit, vetera, novis incommodis excipiuntur; urget urinæ suppressio, pigrioris alvi durities, abdominis scissuræ, instans proximi periculi metus, &c. Nihil tamen illam acriùs pungere assolet quàm non ferendus dentium dolor: tument scilicet in prægnatione humores præter solitum; fervent catharri quorum acrimoniâ gengivæ aduruntur; convelluntur ab alveolis dentium radices, & crebris obruuntur subsultibus, unde accidit ut aliis, quasi sponte suâ, dentes excidant; aliis exurgant, sibique viam summo dolore aperiant, quos vocant *dentes sapientiæ*. Dum gerunt infantes in utero, tanta est in matribus Pathematum vis ac potestas, ut fœtibus suis suamque formam & mores & morbos imprimis incutiant, iisque omnibus induti ante partum, subeant lucem, numquam nativa hæc indumenta deposituri. Quorum exempla quia ultramodum suppetunt & præstosunt, mittenda satiùs duxerim. Sed ex illis intellige quanta sit Medicis adhibenda cura ut prægnantes ad felicem puerperii exitum possint perducere, removendo scilicet ex arte, quidquid fore nocivum aut puerperæ aut ejus fœtui, seu in corpore, seu in mente, intellexerint.

V.

OMNIUM ferè temporum experientiâ compertum eſt, nullum eſſe utilius, nullum præſentius remedium laborantibus dente aliquo, fœtido præſertim & carioſo, quàm ejuſdem avulſio promptiſſima; quæ medendi ratio, & in fragiliori ſexu, & ætate cum juvenili tum provectâ, tempeſtate omni, ubique locorum, non obſtante etiam morbo, cum laude ægrique levamine, adhibetur: Nunc dejiciendus, quod alio non repercutiente, compreſſionis deffectu emineat, voci & maſticationi nocendo maximè; modò, quod carie contaminatus, vicinos, quaſi ex propiore ac divagante oris lue, corrumpat; non numquam, quod exacerbatus ab introeunte & ſubeunte aëre, aut laceſſitus à prementibus cibis, vel à frigidiore potu, tot tantiſque vibratis aculeis impetitur, ut contra perſtringentis aciem doloris, ſtare nemo poſſit æquo animo ad reſiſtendum; unde febres, tumores, convulſiones, inſania, abortus, ipſa mors, quandoque ſubſequantur. Soli ne prægnanti mulieri opem deneges, intempeſtivo metu nocendi, quem gerit, fructui? Imò; inter ægros illi ſubveniendum imprimis, quæ vel ſuo titulo, debet orbi hominem, quem ſolvat felici partu; atque utinam ſine dolore, quo, reverendo & amabili novæ matris nomine, carere omninò debet, utpote cui rem maximam adimplere incumbat, novi ſcilicet advenientis hominis partum. Caveat tamen diligentur Chirurgus, ne inſons ex prægnantis ore ejiciatur dens, nuſquam rediturus; cautelâ quoque utendum, ne aſpectu inſtrumenti, quo de ſede dens æger evellendus, plus contremiſcat prægnans, quam ab ipſa ejectione; utque ſe priùs ſublevatam, quam ferro aggreſſam ſentiat! Dum ergo prægnants maleficum dentem tantùm experiri ac titillare doctâ manu & ſollicitare videbitur Chirurgus, eâdem æquâ & validâ, ſucceſſuſque conſciâ, ad radicem uſque evellat tam ſubitò dentem, ut doloris brevitatem compenſet fugati doloris ſolatium. Sicque ſublatâ morbi cauſâ, ponunt tempeſtates; depravati humores in fundo alveoli ſtagnantes expelluntur; ſanguinis & lymphæ in omnibus maxillæ partibus, liber reſtituitur circulatio; donec

nullâ deinceps obſtante cauſâ matureſcat fructus, maturuſque, quaſi ſponte cadat.

Ergò Prægnanti Mulieri, acutiſſimo dentis dolore laboranti, ejuſdem dentis evulſio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Henricus-Franciſcus Bourdelin.

M. Antonius-Joannes Daval.

M. Otto Caſimirus Barfeknecht.

M. Robertus-Hubertus Linguet.

M. Achilles-Franciſcus Fontaine.

M. Joannes-Bapt. Ludovicus Chomel, Medicus Regis ordinarius deſignatus.

M. Joannes-Baptiſta-Thomas Martineng, Chirurgiæ Profeſſor.

M. Franciſcus Pouſſe.

M. Thomas-Bernardus Bertrand.



Proponebat Pariſiis, BENJAMIN-LUDOVICUS LUCAS, Laudunenſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1740, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1740.